

hing lib. 1 Decretal., tit. 40, n. 33, ubi defendit tanquam probabiliorem, et La Croix lib. vi, part. n. 1554, ubi dicit quod probabilius est jurisdictionem vi, metu, vel fraude extortam sufficere ad valide absolvendum, quia confessio manet voluntaria simpliciter.

(40. Jurisdictionis contentiosæ actus regulariter sunt invalidi diebus Feriatis; l. 1, ff. De feriis, l. Si Feriatis, ff. eodem cap. *Omnis dies* 1, et c. *Conquestus* 5, de feriis. Ita Abbas in cit. c. *Conquestus* n. 1; Fagnan. *ibid.*, n. 1, et seq., et Communis aliorum. (41. Secus autem est dicendum de actibus Jurisdictionis voluntariæ, qui nimirum absque strepitu judiciali tantum in volentes exercentur, diebus etiam feriatis recte expediuntur, l. Solet, ff. De feriis, l. Actus omnes; cod. eod. ubi licentia diebus Feriatis emancipandi et manumittendi cunctis conceditur; et Baldus in summario generaliter inquit: « Actus voluntariæ jurisdictionis possunt explicari quolibet tempore, etiam feriatis; » vide quoad hæc verb. *Judicium*, a num. 24, usque ad finem.

(42. Jurisdictio ordinaria activa non recte inferitur ex privilegio exemptionis passivæ. Benediet. XIV, tom. I Constit. 76, incip. *Apostolicæ servitutis*, § 9 et 10. (43. Jurisdictio ordinaria prælato inferiori concessa dici nequit per verba generalia expressam illius mentionem non facientia. Idem *ibid.*, § 7. (44. Nec per cessionem juris episcopalis in genere, utpote quod intelligi potest consentanea ad exemptionem passivam. Idem *ibid.*, § 12. (45. Jurisdictio in clericum et populum monachis raro tributa; nunquam vero ætate Alexandri III. Idem *ibid.*, § 11. (46. Jurisdictio episcoporum in ecclesiis parochialibus regularium in Indiis Occidentalibus et Orientalibus asseritur. Idem tom. II, constit. 1, incip. *Quamvis ad confirmandum*. (47. Jurisdictio episcopi in omnes ecclesias intra diocesis suæ fines constitutas, in jure fundata est. (48. Idem constit. 33, incip. *Inter multa*, et constit. 40, incip. *Causarum Palatii*, jurisdictio activa in clericum et populum valde differt ab exemptione passiva. (49. Idem const. 33, incip. *Inter multa*. Jurisdictio Græcis prælatis in populum Latini ritus nunquam in Italia attributa dignoscitur. Idem *ibid.*

(50. Inferior prælatus ad hoc ut territorium separatim, et jurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem in clericum et populum obtineat cum ipsius episcopi exclusione, non juvatur per Quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum et subsistens apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi, quæ fuit olim decisio S. Congregationis Concilii die 7 Januarii 1721, dein approbata a Clemente XI, die 14 ejusdem mensis, et confirmata a Bened. XIV, in suo Bullario tom. II, constit. 33. Tunc autem dicitur consuetudo rite indueta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior prælatus omnem omnino jurisdictionalium

actuum speciem ita solus exhibuerit, ut episcopus in cujus diocesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, neque in iis se unquam miscuerit. De Synod. diocæs., lib. xiii, c. 8, § 18 et 21, nov. edit.

(51. Episcopi, licet habeant capitula quantumcunque exempta, possunt per se ipsos sine adjunctis de capitulo visitare ecclesiam, canonicos, et beneficiatos, ut decisum a S. Congreg. Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non potest committere hoc munus alteri. *Ibid.*, c. 9, § 6, nov. edit.

(52. Si tamen extra visitationem velit contra Canonicum procedere, tenetur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, a Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo Canonici constituunt unum tantummodo suffragium, et si ambo conveniant in sententiam episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Tridentino sess. 25, cap. 6, *De refor.* præscriptam. Ita ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, et ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in sess. 6, c. 4, altero in sess. 25, cap. 4, *De Synodo diocæs.*, lib. xiii, cap. 9, nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Amplissima est hæc materia. At angusti limites additionum vix patiuntur, ut aliqua habeamus de jurisdictione ordinaria et delegata, tum de jurisdictione contentiosa et voluntaria.

53. Duobus modis jurisdictio dici potest ordinaria. Primo, quæ jure perpetuo et stabili, vel lege, vel principum constitutione ad instar regulæ constituta est et efformata. (54. Opponitur delegata, quæ extra ordinem committitur alicui, qui alias iudicis munus non habet, in certo casu, et sic se habet per modum exceptionis. (55. Hoc sensu omnia principum et prælatorum judicia jurisdictionem habent ordinariam, quippe quia hunc in finem sunt constituta, ut ordinarie et regulariter in causis controversis pateat ad ea aditus, et iudices iis propositi nomine principum et prælatorum jus dicant. (56. Commissarii vero, qui pro re nata ad certam causam deputantur, extraordinariam jurisdictionem habent, cum perpetuum iudicium non exerceant, sed unam alteramque causam ob singulares circumstantias expediant, pateatque adhuc ad delegantem recursus.

(57. Secundo dicitur ordinaria jurisdictio, quam quis jure proprio, et non ex alterius commissione et beneficio tenet et exercet, nec ita a superioris arbitrio dependet, ut pro ejus arbitrio revocari possit. (58. Opponitur huic vicaria, seu delegata jurisdictio, quam quis nomine et vice ejus qui jurisdictionem ordinariam habet, gerit. (59. Hoc sensu soli principes et episcopi habent jurisdictionem ordinariam. (60. Officiales vero episcoporum vicariam gerunt operam, qui eam ob causam dicuntur ipsorum vicarii, reddendis rationibus iisdem obnoxii sunt, et ab eis in exercitio jurisdictionis sunt dependentes.

(61. Dicitur solet habere officialem eandem

jurisdictionem, quæ competit episcopo. At eam haud habet eodem modo. Ille enim eam habet jure proprio; hic vero potestate vicaria: licetque idem exerceat tribunal, quod episcopus habet, est adhuc ejus minister, ab eoque constituitur; vide de his omnibus Bohemer, in Decretal. lib. 1, tit. 28, § 7.

(62. De contentiosa jurisdictione non est quod multa habeamus. De ejus divisione in libellarem et decretoriam, traditam ab Obrecto De jurisdict., lib. 1, cap. 9, n. 19, vide omnino Schimier, Jurisprud. canon., lib. 1, tract. 5, cap. 8, in supplement. quæst. 2, per tot.

(63. Voluntaria jurisdictio neque a voluntate magistratus dicitur, quasi eam pro arbitrio accomodet, neque a voluntate partium, quasi eam pro suo libitu petant, sed potius ab actibus, qui non imperantur, sed a volentibus solum et consentientibus peraguntur; Lauterbac. in Disput. de jurisdict. volunt., thes. 2.

(64. Dividitur jurisdictio voluntaria in simplicem et mixtam. Simplex exercetur a magistratu sine speciali causæ cognitione, sola interpositione publicæ auctoritatis circa actum qui coram se geritur. Mixta exercetur cum speciali et solemnî causæ cognitione; Braun De jurisdict., c. 4, § 3, n. 4.

(65. Pertinent ad jurisdictionem voluntariam simplicem, ex jurisdispositione, adoptio, emancipatio, et manumissio, et, ex interpretatione prudentium, confirmatio testamenti judicialis, insinuatio donationis ultra 500 solidos, insinuatio judicialis hypothecæ bonorum immobilium, edictalis bonorum possessio, apertura et publicatio testamentorum; Lauterbac., dict. Disput., thes. 33, et sequitur Vinn. De jurisdict., cap. 6, n. 6.

JURISPRUDENTIA.

Noviss. adjunct.

SUMMARIUM.

1. Jurisprudentia quæ jura consideret. — 2. — 3. Jurisprudentia antediluviana. — 4. Hebræorum jurisprudentia. — 5. Ægyptiorum, aliarumque gentium, præsertim Græcorum legumlatores. — 6. Ro-

(1. Jus, ut mox videbimus, multiplex est: naturale, positivum, hocque aliud divinum, aliud humanum; humanum vero aliud item est, gentium, civile et ecclesiasticum. Itaque jurisprudentia quæ omnia hæc jura considerat, latissime patet.

(2. Primum omnium jurium fundamentum est jus naturæ. Hujus vero prima et generalia principia quam in se pauca, tam in iis quæ inde eruuntur multiplicia, manifestat lumen naturale, cuius hominum ingenitum. Hoc lumen cum in Adamo admodum excellens fuerit, facile ea quæ ad jus naturæ pertinent, progeniem suam posterosque ille docuit, copioseque explanavit.

(3. Præter jus hoc, quod omnium aliorum jurium regula est moderatrix, primorum parentum filiis et filiabus, horumque nepotibus in familias distributis jus quoddam

(66. Ad jurisdictionem voluntariam mixtam pertinent arrogatio, emancipatio impuberis, manumissio servi, si fiat a minori 25 annis, transactio de alimentis testamento relictis, alienatio rerum immobilium vel mobilium pretiosarum ad pupillos vel minores spectantium, et bonorum possessio decretalis; consule Schimier Jurisprud. canon. civil., lib. 1, tract. 5, cap. 8, section. 2, § 4, num. 38, et plur. sequent.

(67. Quæritur an dispensatio super votis et juramentis, absolutio a censuris, collatio beneficiorum aut privilegiorum, et alia id genus jure canonico inducta spectent ad jurisdictionem voluntariam, et utrum ad simplicem, an ad mixtam? At confer Schimier Jurisprud. canon. civil., l. 1, tract. 5, cap. 8, sect. 2, § 3, n. 43, et sequent.

(68. Conveniunt in hoc jurisdictio simplex et mixta, quod utraque personale requirit præsentiam eorum quibus administratur, nec ministerium procuratoris admittit; Braun De Jurisdict., c. 4, § 3, num. 21. (69. Differunt vero quia simplex potest administrari in causa propria, propriæ et conjunctis personis, a iudice competente et incompetente, intra et extra territorium jus dicentis, die feriatis et non feriatis. Mixta vero redditur causis et personis alienis, a iudice competente, ac pro tribunali sedente intra territorium proprium, diebusque juridicis. Nec mirum. Simplex enim cum non requirat causæ cognitionem, nec iudicio, nec loco astricta, solam præsentiam magistratus et inscriptionem negotii ad acta desiderat. Mixta vero, utpote desiderans judicialem causæ cognitionem, certo loco, iudici, et iudicio alligata est; Vinnius De Jurisdict., cap. 6, num. 7; Braun eod. tract., c. 4, § 3, num. 38, et seq.

manorum jurisprudentia profana a Numa Pompilio ad Justinianum. — 7. Jurisprudentia Justinianei facta in oriente. — 8. Et in occidente. — 9. Jurisprudentia sacra, seu ecclesiastica.

economicum (species civilis adhuc imperfecta) esse cœpit, sine quo recta familiæ gubernatio subsistere nequit, ut quod officia uxoris erga maritum, liberorum erga parentes, servorum erga dominos, et familiæ membrorum erga se invicem complectitur. Ubi vero illæ magis magisque auctæ in gentes integras excrevere, ortum est jus gentium circa bella, pacis fœdera et commercia mutuo consensu constitutum. Constructis autem civitatibus, natum est jus civile seu politicum, quo omnia et singula civitatis membra in officio continentur. Cætera universim jurisprudentia in sacram et profanam jam tum dividebatur. Docet enim ipsum jus naturæ, Deo quod Dei est, et homini quod hominis est, dandum esse. Utrumque ab Adamo tanquam juris doctore divinitus constituto primis hominibus traditum est,

ita ut in Caini, posteris, quos *filios hominum* sacrae Scripturae appellant, jus profanum; in Sethi vero familia, quae *filiorum Dei* nomine in iisdem Scripturis designatur, jus sacrum maximam partem custoditum et propagatum fuerit, praesertim postquam Enos cepit invocare nomen Domini (Gen. iv, 26), seu auctor fuit ut nova aliqua certa que ratione ac ritu Deus publice coleretur.

(4. Exstincto per diluvium, paucis exceptis, humano genere, instauratum est a Noemo jus naturae. Huic sane admodum consentanea sunt septem illa praeccepta, quae Noemo ejusque posteris imposita fuisse Hebraei tradunt; fatendum tamen est nullum de hisce Noachidarum praecceptis apud veteres monumentum exstare, ut recte animadvertit el. Alphonsus Nicolai in Gen., lect. 53. Sed, et hisce praecceptis omissis, utrumque illud jus naturae profanum et sacrum per Noemi progeniem, facta gentium divisione, ad alias quoque orbis plagas et regiones quas occuparunt, translatum. Praecipue post patriarchas vixit in populo Dei, cujus principes fuere Moyses et Aaron, quorum ille quae ad hujus vitae regimen et felicitatem, iste quae ad divinum cultum et res sacras pertinebant, uterque Dei, legislatoris supremi, jussu saluberrimis legibus promulgatis ordinavit. Perseverarunt haec jura intacta post occupatam terram sanctam tum sub ducibus populi, et iudicibus, tum sub regibus Israel et Juda, ita ut reges profanum, summi sacerdotes sacrum administrarent; Deo saepius graves infligente poenas, ubi reges manus in jura sacra immiscere ausi fuerunt.

(5. A populo electo ad alias quoque gentes, regna et provincias, jurium cultura transiit. Nimirum cum antea suo velut arbitrio, vel sub potentiorum tyrannico regimine viverent populi, legumlatores surrexerunt, homines sapientes et satis probi, qui partim naturae lumine illustrati, partim iis quae, peregrinando per alias terras, e sacro maxime Hebraeorum codice hauserant, rectae gubernationis principii adjuti, conscriptis latisque legibus optimis respublicas regnaque tanquam copiosa suppellectile instruxerunt. Veterum legumlatorum catalogum dedit Fabricius, Bibl. Gr., lib. xi, cap. 14. Principes satis hic sit indicare. Mercurium Trismegistum ferunt primum Aegyptiis leges tulisse; sed de hoc Mercurio, de quo plurima antiqui fabulati sunt, legendi cum primis Moshemius ad Cudworthi Systema intellectuale, cap. iv, § 18, et qui eum secutus cum primis est Nicolai in sacra Biblia, t. I, diff. 111, p. 79 seqq. Florent. edit. 1756. Phoronæum regem in Graecia primum leges Argivis edidisse perhibent Clemens Alexandrinus in Protreptico, et S. Isidorus Hispalensis Origin., lib. v, c. 1. Lycurgo Spartanorum leges, quarum lacinias aliquas Nicolaus Kragius exhibuit in Republica Lacemoniorum, tribui solent. Celeberrimum inter Graecos Atheniensium jus est, ejusque leges ex historicis et oratoribus, sub titulis suis peculiari corpore collegit, et commentario doctissimo illustravit Samuel Petitus

Parisiis 1635, fol. Soloni Atticorum haec leges maximam partem adjudicantur. Vide Gothofredum Schmidium in Diss. De Solone Legislatore, Lipsiae 1688, et Fridericum Menzium in diss. De Solonis legibus, ibidem, 1701. Universim vero de primis Graecorum legibus disputantem adi Cl. Goguetum, t. XI, praecleari operis inscripti *De l'origine des lois, des arts et des sciences*, lib. 1, cap. 4, art. 8, qui et de legibus Cretensium sequenti articulo agit.

(6. Numa Pompilius, secundus Romanorum rex eis leges dedit. Fatendum porro est nullibi melius atque augustius jus profanum fuisse excultum, quam in Graecia et in Romana republica. Confer Antonii Thysii collationem legum Atticarum et Romanarum, recusam tom. V Thesauri Gronoviani. Nec deerat his populis jus sacrum, seu potius quoddam illius simulacrum, apud Graecos fabulis, apud Romanos superstitionibus refertum: erant tamen utrobique arae, sacrificia, fana, sacerdotes, quin etiam Romae pontifices maximi, penes quos summa fuit sacrorum potestas. Ejectis regibus, Romana respublica duodecim Tabularum quarum decem e Graecia fuerunt allatae, legibus regebatur. Earum fragmenta plures collegerunt, et illustrarunt: Joannes Nicolaus Funckius, Rintelli 1744, et Ferrassonius in Historia jurisprudentiae Romanae; huc spectant Aloysii lib.; Baron. a Locella tria tentamina ad illustrandas leges XII Tabularum, Viennae 1754. Juri tamen Romano atque communi initium datum fuit sub Augusto Caesare; quod perpetuis rescriptis, ut vocant, edictis et sanctionibus per sequentes imperatores auctum fuit. Synopticam juris civilis usque ad Justinianum Historiam Josepho Simonio Assemano debemus, Bibl. jur. canon. et civil. Eccles. orientalis, lib. xi, cap. 2. Mosaicarum vero et Romanarum legum collationem, in titulos sexdecim tributam, a Petro Pithæo Parisiis 1572 fuisse editam novimus. Ejus auctor non ipse Pithæus fuit (quod Imbonato perperam excidit in Bibliotheca Hebraeo-Latina, pag. 200), sed Licinius Rufinus, seu potius Licinio, qui, Severo Alexandro imperante, vixit, junior Christianus aliquis, nisi cum Marquardo Frehero lib. 1 *Παράρτημα* juris, cap. 9, Judæum quempiam fuisse malis, qui, cum videret sectam suam invidia laborare, quod disciplina jureque a Romanis diverso uteretur, amoliri eam studens, demonstrandum susceperit non usque adeo multum leges Judaicas a Romanis dissidere, imo has ab illis fluxisse. Alia de hac collatione variisque ejus editionibus profert Fabricius, Biblioth. lat., lib. iv, cap. 9, n. 4.

(7. Progrediamur ad Justinianum. Is Romanum jus in eam, qua hodie utimur Juris civilis et profani formam, Triboniani potissimum consilio et opera, rededit. Historiam juris romani Justinianaei chronologicam habes tomo I Corporis juris civilis Romani opera et studio Simonis Van Lewen, Lipsiae editi 1740; conferri tamen cum hac utiliter poterit Terrassonii Historia jurisprudentiae Romanae; Historia juris civilis ab Heineccio elucubrata, et Assemani Bibliotheca juris

orientalis antea laudata. In oriente et occidente Justinianæum jus vulgatum fuit cum plenissima auctoritate, peremptorio imperatoris edicto, vetitumque ne quis aut antiquiora jura cum Justinianæis libris commiseret, aut in foro leges alias laudare auderet. Obtinuit autem apud orientales istud Justinianæum jus usque ad tempora Basilii Macedonis, Leonis Sapientis, et Constantini Porphyrogeniti, qui novum jus ediderunt in sexaginta Basilicorum libros tributum. Basilius primus illis libris manum admovit; perfecit, promulgavitque opera Sabbatii Protospatharii Leo sapiens ejus filius. Constantinus denique idem opus ab avo inchoatum, a patre absolutum recognovit, emendavit iterumque edidit. De his consule Assemani Bibliothecam lib. xi, cap. 16.

(8. In occidente, ac praesertim in Italia non diu jus Romanum servatum fuit, omnia susquedeque vertentibus Longobardis primum, deinde aliis barbaris in nostras regiones irrumpentibus, ac suarum gentium leges, Salicam, Ripuariam, Alemannicam, etc., ad nos transferentibus. Equidem ab hisce populis vetitum non fuit nostratibus Romana lege vivere, ut ostendit Muratorius, Antiquit. Italic. med. ævi, diss. xxii. Nihilominus Longobardorum, ac deinde Carolingorum imperatorum leges jus Justinianæum fere in desuetudinem deduxere. Verum praesertim postquam, Lothario II imperante, a 1137, aut (quod Pagio visum est) 1135, in expugnatione Amalphantinae urbis celeberrimus Codex Pandectarum seu Digestorum, quorum exigua a multis sæculis notitia fuerat, inventus est, et in Pisanorum manus devenit; veteris Romani juris auctoritas in Italia convaluit, et reliquarum legum usus infirmavit. Ab hoc nempe tempore jus Romanum a viris eruditissimis aliquanto diligentius tractari cepit: quod tamen ab ipsis saltem XII sæculi initiis, ut Muratorius ostendit, Ant. Italic., diss. xlii, in Bononiensi academia tradebatur: scholæ ejusdem paulatim ad alias urbes, tam in Italia quam extra Italiam magno Romanae jurisprudentiae incremento propagatae. Sunt etiam qui velint Lotharium II, auctore Irnerio, primo juris Romani in academia Bononiensi doctore, edicto sanxisse, ut in posterum omnes uni legi Romanae, cæteris omnibus abrogatis, obtemperarent; sed hæc opinio magnis viris probari non potuit: vide Muratorium in Praefatione ad Leges Longobardorum t. I Scriptor. rer. Italic., p. 2.

(9. Eodem XII sæculo Bononia juris quoque sacri seu canonici magistrum dedit. Circumferebantur a multis sæculis cum in Italia, tum in Germania, Hispania, Gallia canonum collectiones, de quibus vide quae pauca post sequenti articulo adnotabimus. Verum nondum fuerat qui jus canonicum palam doceret. Gratianus Sanctorum Naboris et Felicis Benedictinus, apud eodem Bononienses monachus, id sibi sumpsit; cum enim jus Romanum videret in ea academia ingenti plausu explicari, Decretum

suum aggressus est, quod anno tandem mcl aut insequenti perfecit; dein illud doctoribus Bononiensibus tradidit examinandum, corrigendum, atque Eugenio III in Romana cathedra tunc sedenti offerrent: quo ipsius auctoritate et indulto in ipsa Bononiensi academia posset publica interpretatione illustrari. Facile Gratianus obtinuit quod optaverat, nam non modo academia illa ejus labores probavit, sed etiam cancellarius opus pontifici obtulit, ab eoque ut explicari publice posset impetravit. Postea tamen jus canonicum, conciliorum decretis ac Romanorum Pontificum, praecipue vero Alexandri III, Innocentii III, et Honorii III, epistolis, responsis et constitutionibus locupletatum, a Gregorio IX, adlaborante S. Raymundo a Pennafort, in corpus juris ecclesiastici seu canonici, anno circiter 1230, coaluit. Gregorius porro hanc suam collectionem in quinque decretalium libros tributam verbis amplissimis confirmavit, eamque doctoribus Bononiensibus inscripsit, quo sibi viros illos sui studiosissimos magis devinxit. Hinc enim illi, abrogato Gratiani Decreto, aut saltem nonnihil illius usu infirmato, in normam scholarum Gregorianam istam collectionem statim assumpserunt. Quo quidem celeberrimæ illius academici exemplo factum ut hæc Gregorii collectio per omnes plagas non modo Italiae, sed etiam Galliae, Germaniae, Angliae, Belgii longe lateque disseminaretur, nec solum in scholis publicis, verum et in judiciis dominaretur.

ADDITIONES CASINENSES.

Quoad praeccepta Noachidarum, quorum obiter meminit auctor hujus articuli sub n. 4, affirmant rabbini, per Deum Noe ejusque filios quaedam imposita fuisse praeccepta, ad jus naturale spectantia, quae omnes homines obligant, adeo ut praecceptorum ejusmodi observantia ad salutem satis sit. Addunt insuper post vulgatam Moysis legem nemini exterorum inter Hebraeos morari permisum, nisi saltem Noachidarum praecceptis obtemperarent; mortemque iis illatam qui bello victi hæc praeccepta ignorassent. Sunt porro hujusmodi:

1° *De judiciis.* Obedientia praestanda iudicibus, magistratibus et principibus.

2° *De cultu extraneo.* Cultus idolorum, sacrilegia, superstitiones omnino interdicta.

3° *De maledictione nominis sanctissimi.* Maledictio nominis Dei, blasphemiae, mendacia.

4° *De revelatione turpitudinum.* Copulae, et incestus illiciti, sodomia, bestialitas, peccata contra naturam.

5° *De sanguinis effusione.* Quorumcumque animalium sanguinis effusio, homicidium, vulnera, mutilatio, etc.

6° *De rapina.* Furtum, fraudes, mendacia, etc.

7° *De membro animalis viventis.* Non comedere membra alicujus animalis adhuc viventis, sicut mos erat quibusdam ethnicis, ut apud Arnobium, contra gentes, l. v: « Ca-

prorum reclamantium viscera cruentatis ori-
bus dissipant. »

Ait amplius Maimonides omnia hæc præ-
cepta, præter ultimum, imposita fuisse
Adamo, ultimum vero impositum Noe. A
quibusdam rabbinis hæc præterea superad-
duntur, nempe: *Interdictio sanguinem ex-
trahendi ex animali vivo, ut hauriatur; in-
terdictio magiæ et sortilegii; interdictio co-
pulandi animalia alterius inter se speciei, et
arborea inserendi: interdictio mutilandi ani-
malia.*

« Hæc utique, inquit Calmet, inveniuntur
in his scriptoribus; attamen de eorum ve-
tustate maxime est ambigendum, cum a
scriptura, ab Onkelo (qui famosus rabbinus
primæ seculo reparatæ salutis exstitit) a Jo-
sepho, a Philone, et ab ullo ex veteribus Pa-
tribus nulla mentio fiat. » (Diction. Bibl.,
v. *Noachidæ.*)

Et in comment. in Genes., ad cap. ix, v. 9,
sic idem Calmet: « Nihil ea de re in Scriptura,
a veteribus Judæorum et Christianorum

JUS, JUSTITIA.

SUMMARIUM.

1. Juris vocabulum unde sit dictum, et quo-
modo hoc loco accipiatur, ad num. 3. — 4. Juris
duplex divisio ac subdivisio, ad num. 22. —
5. Corpus juris canonici in quot et quas partes
dividatur, ad n. 34. — 35. Quinam sit juris
civilis et canonici promiscuus usus in utroque
foro, ad n. 41. — 42. Quid sit agendum in jurium
discordantia sive contrarietate, ad n. 43. — 44.
Jus, prout est objectum justitiæ, quid sit, et quem-
admodum dividatur, ad n. 48. — 49. Justitia

(1. Jus derivatur a verbo *justo*, textu ex-
presso in cap. *Jus generale* 1, dist. 1, ibi:
« Jus autem est dictum, quia justum est, »
et in l. 1, ff. De justitia et jure, ibi: « Jus a
justitia appellatum est; nam jus est ars boni
et æqui. » (2. Nec in re discrepat in cap.
Jus dictum est 12, De verbor. significat., ubi
dicitur: « Jus dictum est a jure possidendi,
hoc enim jure possidetur, quod juste; »
quia ibi, ut recte notant Abbas in d. cap.
Jus dictum, Reiffenstuel lib. 1 Decretal., § 1,
procemii num. 3, et alibi, ponitur Etymologia
juris, non prout jus est nomen generale, sed
prout applicatur ad rem certam, dicendo
verbi gratia: « Habeo jus in tali re. »

(3. Relictis variis aliis juris acceptioni-
bus, hic jus potissimum accipitur pro lege,
quæ est regula justitiæ seu justitiae in genere.
Cum enim legibus non nisi id quod justum
est sive debitum inter cives vel erga rem-
publicam statuatur, hinc usu receptum est
ut ipsæ leges tum divinæ tum humanæ jura
appellarentur; et in hac significatione acci-
pitur jus in cit. cap. *Jus generale* 2, dist. 1,
ubi dicitur: « Jus generale nomen est, lex
autem juris est species. » (4. Unde jus pro
lege acceptum dividitur primo in jus natu-
rale et jus positivum; jus naturale (quod alio
nomine nuncupatur *Lex naturalis*) est illud
cujus obligatio non ex libera alicujus præci-
pientis legislatoris voluntate, sed ex ipsa
rei præceptæ vel prohibitiæ natura oritur,
verbi gratia: *Quod tibi vis fieri, alteri fece-*

auctoribus, nihil in Josepho et Philone.
*Suspicionem etiam, de illorum vetustate pro-
moveret rabbinorum dissensio quoad numerum
illorum; sicut etiam in dubium revocantur
ex redacta a rabbinis in angustiores limites
eorum significatione, atque imposita lege
proselytis domicilii ea observandi. »*

« Judæorum alii docent, prosequitur Cal-
met, Deum constituisse Noe ejusque poste-
ris septem præcepta expressa Genesis cap. ix;
1. Connubium: *Crescite, et multiplicamini.* 2.
Jus coercendi animalia: *Terror vester ac
tremor sit super cuncta animalia terræ.* 3.
Facultas adhibendi in cibum carnes: *Omne
quod movetur et vivit, erit vobis in cibum.*
4. Abstinencia a sanguine: *Carnem cum san-
guine non comedetis.* 5. Homicidium inter-
dictum: *Sanguinem animarum vestrarum
requiram de manu hominis.* 6. Jus plectendi
homicidas: *Quicumque effuderit humanum
sanguinem, fundetur sanguis illius.* 7. Tau-
dem, nempe: *Ingremini super terram,
et implete eam.* » (Ibidem.)

quid sit, et quomodo communissime dividatur, ad
n. 53. — 54. Quenam justitiæ ratio intercedat in-
ter Deum et hominem, patrem et filium, mari-
tum et uxorem, dominum et servum, ad n. 56.
— 57. Justitia præmiativa, et punitiva seu vindi-
cativa, ad quam justitiæ speciem reducat. —
58. An unquam adversus jus divinum præscriba-
tur, et in quibus detur præscriptio adversus jus
humanum. — 59. Alia ad rem remissive. Subne-
ctuntur Additiones Casinenses.

ris, et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,
et hujusmodi: « Est in re communis, » et
colligitur ex cap. *Jus naturale* 7, dist. 2, ubi
dicitur: « Jus naturale est commune om-
nium nationum, eo quod ubique jure na-
turæ, non constitutione aliqua habetur. » Et
clarissime insinuat ad Romanos cap. 2, ibi:
*Gentes quæ legem non habent (id est scriptam)
naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ejus-
modi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex,
qui ostendunt opus legis scriptum in cordi-
bus suis; testimonium reddente illis conscien-
tia ipsorum.* (5. Et jam indicaverat regius
Psalmes *Psalm.* 4, ibi: *Signatum est super
nos lumen vultus tui, Domine.* Jus positivum
est illud quod non ex rei natura, sed ex li-
bera Dei vel hominis voluntate pendet et
vim obtinet; et dicitur *positivum*, quia a
superiore, non ex quadam necessitate atque
intrinsicæ exigentia objecti, sed libere et
contingenter ponitur. Est in re communis.

(6. Jus positivum dividitur in jus positi-
vum divinum, et positivum humanum. Jus
positivum divinum est quod a Deo supremo
legislatore, de iis quæ ad jus naturale non
spectant, in tempore latum, et hominibus
positum fuit. Notanter autem dicitur de iis
quæ ad jus naturale non spectant, ut ab isto
jure divino positivo excludatur jus naturale,
quod certo respectu et ratione etiam divi-
num appellatur, quatenus a Deo tanquam
auctore naturæ mentibus humanis est indi-
tum. Jus positivum humanum est illud

quod ab auctoritate humana aliquid præci-
piente vel prohibente procedit.

(7. Jus positivum divinum subdividitur in
vetus, et novum. Vetus est, quod Deus in
Veteri Testamento tulit, et triplicis generis
præcepta continebat, scilicet moralia, cære-
monialia, et judicialia. Jus positivum divi-
num novum est quod Christus Dominus ve-
rus Deus et homo in Novo Testamento con-
didit et observari mandavit, et continet
præcepta fidei, spei, charitatis et sacramen-
torum.

(8. Jus positivum humanum subdividitur
in jus gentium, civile et canonicum.

(9. Jus gentium est illud quod omnes
gentes vel ferme omnes utuntur, l. 1, § Jus
gentium, de justitia et jure, juncta leg. Om-
nes, ff. eod. ubi dicitur: « quod naturalis
ratio inter omnes homines constituit, id
apud omnes peræque custoditur, vocaturque
jus gentium, quasi quo jure omnes homines
utuntur. »

(10. Jus autem gentium duplex solet
a juristis assignari, scilicet jus gentium pri-
mariū, et secundariū. Jus gentium pri-
mariū est illud quod naturalis ratio
omnibus gentibus dicit, quodque mentibus
hominum a Deo naturaliter inditum est, et
ab omnibus populis solo naturali instinctu
rationis custoditur, et sic coincidit cum jure
naturali; § Jus autem, Instit. de jure nat.
gent. et civil. et l. Omnes 9, ff. de justitia et
jure cum similibus. Jus gentium secunda-
riū est illud quod ex naturali quadam
ratione proficiscitur, at non simpliciter et
ab initio solo rationis instinctu nobis est
inditum, sed necessitate humani commercii
postea, sic exigente usu ac moribus om-
nium aut fere omnium gentium, est intro-
ductum, sive per modum legis præceptivæ
aut prohibitiæ, sive solum per modum po-
testatis seu facultatis permissivæ, quidpiam
agendi quod usu seu consuetudine om-
nium vel pene omnium gentium præcipitur,
prohibetur, aut conceditur, tanquam neces-
sarium vel utile hominibus inter se socie-
tatem seu commercium foventibus; et de
hoc jure gentium secundario est sermo in
l. *Ex hoc jure*, ff. De justitia et jure, et §
Jus autem gentium, instit. eod. tit. et affe-
runtur exempla in c. *Jus gentium* 9, dist. 1,
præcisus his verbis: « Jus gentium est se-
dium occupatio, ædificatio, munitio, bella,
captivitates, servitutes, postliminia, fœdera,
paces, induciæ, legatorum non violandorum
religio, conjugia inter alienigenas prohi-
bita; hoc inde jus gentium appellatur, quia
eo jure omnes fere gentes utuntur. »

(11. Jus civile est quod auctoritate prin-
cipis sive magistratus sæcularis est condi-
tum ad reipublicæ gubernationem, et tem-
poralem pacem, et salutem civium conser-
vandam; Est in re communis per textum in
c. *Jus civil.*, 8, dist. 1, ubi sic præcise
dicitur: « Jus civile est quod quisque po-
pulus vel quæque civitas sibi proprium di-
vina humanaque causa constituit. » (12. Jus
civile dividitur primo in jus scriptum, et
non scriptum, c. *Jus generale* 2, c. *Lex* 2,

c. *Mox* 4, cap. *Consuetudo* 5, dist. 1, et §
Constat autem, Instit. de jure natur. gent.
et civil. Jus civile scriptum est quod ex-
presso consensu principis seu magistratus
legis condendæ potestatem habentis con-
stitutum est. Jus autem civile non scriptum
est jus consuetudinarium, sive illud quod
diuturnis moribus, tacito utentium consensu
comprobatis, introducit. Communis, arg.
cit. Juribus.

(13. Jus civile dividitur secundo in jus
commune, et particulare seu municipale.
Jus civile commune est illud quod est com-
mune omnibus provinciis et incolis Roma-
no imperio subjectis, illosque omnes obli-
gat. Jus autem civile particulare seu muni-
cipale est illud quod non ligat omnes
subditos imperii Romani, sed solum subdi-
tos loci vel territorii pro quibus hoc jus
conditum est. Communis.

(14. Totum jus commune civile seu Cæsa-
reum dividitur in tres præcipue partes,
scilicet in Digestum, Institutiones et Codi-
cem. *Digestum*, quod alio nomine appellatur
Pandecta seu libri *Pandectarum*, continet
in se quinquaginta libros, qui omnes dividi
solent in tres tomos. Primus vocatur *Diges-
tum vetus*, quia prius editum est, et conti-
net priores viginti quatuor libros. Secundus
vocatur *Infortiatum*, quia fortiorem ac ple-
niorem legum cognitionem suppeditat, et
continet sequentes quatuordecim libros us-
que ad trigesimum octavum inclusive. Ter-
tius vocatur *Digestum novum*, quia postre-
mo editum est, et continet reliquos duode-
cim libros. *Institutiones imperiales*, seu
Justiniani imperatoris, dividuntur in qua-
tuor libros, et sunt quoddam juris com-
pendium. *Codex Justiniani* continet duode-
cim libros, quorum tres ultimi tractantes
de jure publico non solent explicari in
omnibus scholis. Istis tribus juris civilis
partibus sunt adjectæ postremo *Novella con-
stitutiones* Justiniani et Leonis Imperato-
rum, et alio nomine dicuntur *Authenticæ*,
et constant novem authenticis collationibus,
quibus recens decima adjecta est; insuper
adjectæ sunt *Consuetudines Feudorum* seu
duo *Libri Feudorum*, et aliæ quædam
constitutiones imperiales.

(15. Jus canonicum derivatur a verbo
Græco *νόμος* quod Latine significat, *regula*;
c. *Canon* 1, dist. 3. (16, 17. Regula autem ec-
clesiastica est dicta, eo quod recte ducit,
nec aliquando aliorum trahit quam ad rec-
titudinem, vel quod regat, vel quod normam
recte vivendi præbeat, vel distortum pra-
vumque corrigat, c. *Regula* 2, dist. 3. Unde
jus canonicum recte definitur, quod sit jus
positivum ex sacris canonibus seu regulis
ecclesiasticis collatum, et ad recte viven-
dum, æternamque salutem consequendam,
et justitiam in populo Christiano conservan-
dam a summis pontificibus Ecclesiæ catholi-
cæ traditum, constitutum vel approbatum.
Qua in re communis. (18. Jus canonicum
vocatur etiam alio nomine *Jus ecclesiasticum*,
quia materia in ipso contenta est eccle-
siastica, et agit potissimum de personis et